

§. 8. In (m) Plinianis monumentis extat Regem Pyrrhum habuisse Achaten (in Græcia effossum) in quo novem Musæ & Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua redderentur insignia.

§. 9. In Italiâ repertum esse Achaten, in quo apparuerit regium caput diademate ornatum, naturalibus id exprimentibus venis, absq; omni artificis manu, invenitur apud (n) *Solunum*. Similem huic figuram marmoris impressam fuisse, apud (o) *Fulgosum* reperis.

§. 10. Felis, volucrum, aliorumq; brutorum imagines apud (p) *Kircherum* legimus repertas, eqvibus: In Sacristia Collegii Romani columnam marmoream ex nigro & albo mixtam, in qua Natura pelicanum pinxerit, contorto collô pectus sibi aperientem, mutilis ungvibus pedum; notasse sufficiat.

§. 11. Sombros duos lusu naturæ in marmore Veronensi expressos (q) *Ulysses Aldrovandus* habet.

§. 12. In Bergomi urbis fano majori in lapide porphyrite ad Baptisterii ornatum posito, serpentem in orbes circumvolutum conspici, testis *Fulgosus* l. c. In lapide nigro formâ conî, summâ parte præcisâ, serpentem pulcherrimè expressum quasi pictum, infima parte pallidiorem, nullibi perspicuum, repertum esse, lege apud (r) *Cardannum*.

§. 13. Pastinacæ radium naturæ lusu exsculptum, sibi communicatum à Johanne Pona pharmacopolâ Veronensi, testatur (s) *Ul. Aldrovandus*.

§. 14. Apud Tyburtum Urbem candidissimos lapillos, dulciariis condituris, velut amygdalorum, coriandri, anisi atq; aliarum hujusmodi rerum, formæ adeo similes, ut non nisi prudentes discernant, reperiri, lege sis in (t) *Majolo*.

§. 15. Lapidem Astrionem, in India ortum, crystallo similem, in centrô stellam continere, lucentem fulgore lunæ plenæ; Gemmamq; candidam aliam, Asteriten nomine, inclusam lucem fove-

(m) Nat. Histor. lib. 37. c. 1. (n) Polyhistor. p. 238. (o) L. l. c. 6. (p) cit. loc.
(q) de piscibus Lib. 2. c. 53. figura autem typis cupreis excusa, p. 106. (r) Lib. 7. de subtil. p. 201. (s) lib. cit. 3. c. 56. p. 162. (t) Dierum Canicular. Tom. 1. Coll. 18. p. 235.